

ciei. Ab inconvenienti autem deducitur, quia si pro diversa participabilitate creaturarum variaretur specificè visio respiciens Deum, ut continentem sic illas diversas creaturas, ut diversimode participabilem, non posset unica visio Dei attingere plures et diversas creaturas diversæ participabilitatis et perfectionis; sed constat quod unus beatus unica visione non solum specie una, sed numero una, videt creaturas valde diversæ perfectionis et immaterialitatis, v. g. Angelos et corpora et mysteria gratiæ, et omnia quæ pertinent ad hoc universum, et Christus Dominus videt omnia, quæ Deus videt scientia visionis in Verbo, et multa alia ex creaturis possibilibus, quæ variam immaterialitatem et perfectionem habent, et tamen omnes istas creaturas videt unica visione, non solum specie sed numero, ergo diversa participabilitas et continentia Dei respectu creaturarum non est sufficiens diversificare specificationem visionum, nec formalem rationem immaterialitatis in eis.

IX. Dico secundo: Probabilis est, nec de potentia absoluta posse dari visiones specie distinctas. Contra hanc conclusionem sentit Ægidius a Præsentatione lib. xi de beatitudine, quæst. vi, art. 1, §. xv, num. xc, licet nobiscum in prima conclusione conveniat, citatque pro se Paldanum et Bassolium. Sed fundamentum fere nullum adducit, nisi illud commune, quia non apparet clare quod implicet contradictionem; quia licet specificativum formale, quod nobis modo constat dari in visione beata sit unum, tamen ignoramus an de potentia absoluta multis aliis modis possit Deus tribuere specificationem. Cæterum nostram sententiam sine dubio tenet Cajetanus, iii part. quæst. x, art. iv, loquens de lumine gloriæ (et est

eadem ratio de visione quæ lumini adæquatur) ubi dicit divinare eos qui dicunt possibile esse lumen gloriæ distinctæ speciei. Eandem sententiam sequitur Suarez i tomo, iii part. disp. xxvi, in præfatione; m. Gonzalez in præsentī disputatione xxix, sect. iii, num. xxvii, et alii. Nec D. Thomas favet oppositæ ut putat Ægidius ex eo quod loco citato iii part. ad iii, dicit: « Quod absolute possibilis est sublimior gradus, quam visio Christi secundum infinitatem divinæ potentiæ. » Sed tamen nomine gradus, intelligere diversitatem specificam omnino absonum est a D. Thoma, sed nomine gradus diversa intensio intelligitur, nam et modo dantur diversi gradus in beatitudine, nec sunt diversæ visiones secundum speciem.

X. Fundamentum hujus sumitur ex eo, quod negata ista conclusione, mutat tota veritas præcedentis, quod si fundamenta ejus aliquid probant, utique probant etiam in ordine ad potentiam absolutam. Etenim si verum est quod specificatio essentialis actuum sumitur ex diversa ratione formali objecti, impossibile est quod aliunde sumatur etiam de absoluta potentia, vel quod detur diversa specificatio essentialis non variato hoc principio, essentialis enim rerum sunt invariabiles etiam in ordine ad divinam potentiam, quia illud quod essentialiter convenit alicui, tale est quod absque illo implicat intelligi, si autem mutarentur principia essentialia, et specificantia, intelligeretur sine eo, quod est essentialis. Ergo si semel admittimus, quod principium specificans actum visionis est objectum ut subest tali rationi formali, id est, tali intelligibilitati et immaterialitati mediū per quod attingitur, impossibile est quod si hoc non varietur, specificatio varietur etiam de potentia absoluta. Non

potest autem variari immaterialitas et intelligibilitas illius mediū per quod Deus videtur etiam de absoluta potentia, quia Deus videtur per speciem increatam, et intelligibilitatem increatam, quia est ipsa essentia divina, non ut subest isti vel illi mediū per se ipsam immediate, vel si esset species creata entitative, intelligibiliter esset increata, et representative; in se autem non potest illa immaterialitas divina crescere vel variari specificè, ergo non potest etiam de absoluta potentia variari specificatio visionis, aut negare debemus quod principium essentialiter specificans sit objectum, ut subest illi formalitati et immaterialitati ut increatæ in se. Et confirmatur, quia latitudo quæ datur in modo videndi Deum finite et limitate sicut ab intellectu creato videtur, vincitur per augmentum et intensionem luminis et visionis, ergo signum est non fundare specificam diversitatem, si enim fundaret illam, non posset vinci illa latitudo videndi Deum per intensionem luminis et visionis. Antecedens patet, quia in visionibus quæ modo dantur, unus beatus tanto plures creaturas videt, quanto lumen ejus intensius est, stante eadem specifica ratione, ut in conclusione præcedenti probatum est, ergo illa latitudo videndi Deum magis ac magis perfecte, tota vinci potest per majorem intensionem ejusdem luminis. Tota autem latitudo videndi Deum in eo solum videtur consistere, quod magis ac magis perfecte penetretur Deus in ea linea, et modo quo nunc magis ac magis a perfectioribus beatis penetratur, ita quod si a visione anima Christi, quæ est maxima quæ datur, usque ad comprehensionem Dei restant infiniti gradus, et modi videndi Deum syncategorematicè, omnes illi per additionem intensivam lu-

minis vinci possunt, sicut omnes qui nunc sunt a minimo beato usque ad Christum per augmentum intensivum ejusdem luminis vincuntur, ergo ad omnes gradus visionis divinæ non requiritur lumen distinctæ speciei, sed tota illa latitudo videndi Deum finito modo quæ potest in infinitum crescere syncategorematicè per majorem ac majorem intensionem hujus specifici luminis quod nunc datur vinci potest. Nullum ergo est fundamentum ad concipiendam possibilitatem distinctionis specificæ in visione, et lumine gloriæ, nisi tantum quia ignoramus, an possit Deus multis aliis modis specificationes istas dare. Sed contra hanc ignorantiam non est argumentum, utimur autem principiis philosophicis, et fundatis in essentiis rerum, quantum ex naturali ratione capi potest.

XI. Dico ultimo: Neque potest visio beatifica perfectionem aliquam individualement majorem accipere ex ipsa activitate naturali intellectus. Est contra aliquos recentiores, qui cum non possint defendere, quod ex activitate naturali intellectus oriatur in visione aliqua major claritas vel intensio, dicunt tamen quod nascitur aliqua perfectio entitativa, quæ reddit visionem individualiter et entitative perfectiorem, ita quod sive crescat lumen, sive crescat activitas potentiæ, ex quacumque parte visio illa individualiter reddetur perfectior. Quæ sit autem ista perfectio entitativa præter claritatem, vel intensionem ista sententia non explicat. De ea autem videri potest p. Alarcon supra citatus, numero xi. Nihilominus conclusio nostra probatur; tum quia hæc sententia non explicat, quid sit ista entitativa perfectio per quam neque major claritas, neque intensio conveniat visioni, ita quod nec plura videat nec melius, quidquid autem

præter hoc ponitur, non explicatur ab istis auctoribus. Unde contra rem cognitam neque explicatam non potest esse argumentum, tum etiam quia in visione beata non accrescit perfectio ex ipsa naturali activitate potentiæ, aut eorum, quæ ex parte potentiæ se tenent, quia ut bene advertit magister Navarrete hic controversia XLIII, §. II et magister Gonzalez hic disp. XXIX, sect. III, conclu. III, hæc est differentia inter visionem beatam et alios actus supernaturales, verbi gratia fidei charitatis et similium qui habentur in hac vita vel extra visionem beatam, quod in aliis actibus semper ipsa gratia se accommodat naturæ, vel quia utitur speciebus ordinis naturalis sicut fides, vel quia modo intellectus se accommodat discurrendo vel componendo, etc. Qua etiam ratione docet S. Thomas III part. quæst. XI, art. VI, quod species scientiæ infusæ animæ Christi, sunt minus universales quam species Angelorum, quia modo connaturali intelligendi animæ se accommodat illa supernaturalis infusio, atque ita gratia in istis se accommodat naturæ. In sola visione gloriæ gratia sibi naturam accommodat et ad se rapit, et elevat ut omnino operetur supra se, quia elevatur ad operandum modo immutabili seu æterno, quia est vita æterna, ratione cujus ipsa potentia elevatur ut influat modo non connaturali sibi, sed supra modum propriæ vitæ, qui est operari cum aliquo motu vel successione actuum; ibi autem operatur modo immutabili et æterno. Unde licet lumen gloriæ non sit principium vitæ radicale ut quod (hoc enim est anima) est tamen vitale ut quo, id est, ex participatione vitæ divinæ elevans ad modum vitæ superiorem. Ergo cum illa visio ita sit immutabilis et superior, non accipit ab activitate naturali ipsius

potentiæ aliquam perfectionem etiam individuaalem, quia non potest naturalis activitas præbere perfectionem ita immutabilem, sicut illa visio postulat, cum sit longe inferioris ordinis, et totum quod perfectionis est in potentia estelevabile ab illo lumine, quomodo ergo illud perficere potest intra terminos supernaturales? Dare autem illi aliquid naturalis ordinis, et mutabilis, non erit illi perfectio, sed imperfectio, sicut si fulgori auri adjungetur aliquid luti.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XII. Objicies contra primam conclusionem: Nam cognitio angelica et humana differunt specie subalterna ex ipsa propria ratione sua, ergo quæcumque differentia supervenientes non possunt illas determinare et contrahere ad unam speciem, quantumcumque versetur erga idem objectum, quia jam supponitur prædicatum genericum seu subalternum esse diversum, ergo omnes differentia quæ in illo radicantur diversæ esse debent, utpote ad diversum genus pertinentes, ergo unam speciem constituere non possunt, sicut visio coloris in oculo et cognitio coloris in intellectu, licet versentur circa idem objectum, non possunt esse ejusdem speciei. Ergo similiter visio angelica et humana different, licet versentur circa Deum in se, quia cum supponantur jam differre ex parte rationis superioris et genericæ, quantumcumque in specie eleventur, semper manent in diversis speciebus. Confirmatur, quia vitales actus in quantum vitales specificantur a suis potentiis, vivens enim in hoc distinguitur a non vivente, quod illud movet se ipsum, hoc vero præcise movetur ab alio, ergo omnia quæ in genere et linea

vitalis ponuntur, habent specificationem suam in ratione vitalis ex ordine ad suam potentiam et principium a quo habent movere se, ergo cum intellectus angelicus, et humanus in ratione vitalium sunt diversæ speciei, omnes actus sub illis contenti, et ad illas ordinati differunt specie, utpote supponentes genus diversum, scilicet genus vitale intellectivum, sub quo tamquam species continentur. Confirmatur secundo, quia ipsum principium vitale quod est intellectus, sua virtute nativa influit aliquid in visionem aut saltem imprimit aliquem influxum lumini, ut medio illo eliciat visionem, ergo ubi est diversa activitas in potentia, etiam in ipsa visione aliquid diversum relucebit ex vi talis influxus: ubi enim concurrunt plura principia, quolibet eorum crescente, crescit aliquid in effectu. Antecedens probatur, quia potentia non elicit visionem nisi medio lumine, ergo oportet quod in illud influat, tamquam in medium quo utitur, sicut causa principalis, quia medio instrumento operatur, oportet suo influxu imprimere aliquid in ipsum instrumentum, et omnis causa utens aliquo medio seu virtute, et imprimit et influit in illam ut effectum operetur, ergo si intellectus medio lumine elicit visionem, aliquid influit in lumen et consequenter si activitas in lumen influens diversæ speciei est, diversa quoque perfectio in ipso lumine, et deinceps in visione consequetur.

XIII. Respondetur concedendo quod intellectus Angeli et hominis, et similiter visiones, quæ procedunt ab eis in eo in quo differunt Angelus et homo, diversæ speciei sunt, et quæcumque sub illa linea visionis angelicæ et humanæ sic differentium ponuntur tamquam diversa, non possunt in unam speciem con-

venire, licet circa idem objectum versentur. Negamus tamen visionem beatificam contineri sub visione angelica vel humana tamquam sub genere, licet pro subjecto materiali habeat hominem vel Angelum, sed non ut Angelus vel homo est, sed in quantum conveniunt tam homo quam Angelus in una ratione potentiæ obediæntialis elevabilis ad videndum Deum, nec enim intellectus Angeli vel hominis videt Deum nisi ratione potentiæ obediæntialis, quatenus scilicet elevabiles sunt ad illam visionem, non quatenus inter se activitate et virtute naturali differunt. Unde eadem mensura est hominis et Angeli in civitate sancta Jerusalem ut dicitur Apocalyp. XXI. Et ratio est manifesta, quia Angelus non est capacior visionis divinæ quam homo, si enim esset capacior, ad aliquem gradum beatitudinis esset elevabilis Angelus, ad quem non esset homo, quod est falsum, cum multi homines hodie superent in beatitudine multos Angelos. Et omnes superat anima Christi Domini, et beatissimæ Virginis. Ergo capacitas ad videndum Deum non est inæqualis et diversa propter inæqualitatem naturalium potentiarum Angeli et hominis; si autem æqualis est in illis, et visio beatifica non ponitur sub genere visionis angelicæ ut talis, sed quatenus in illo est capacitas ad talem visionem, non ponitur sub genere angelicæ vel humanæ cognitionis, quatenus inter se specie differunt, et diversæ sunt, sed quatenus eandem capacitatem habent elevabilitatis ad Deum, licet esse angelicam vel humanam illi omnino sit materiale et per accidens. Restat ergo quod visio beata habeat pro genere non angelicam visionem vel humanam, sed cognitionem supernaturalem in genere, et illa pro superiori adhuc genere intellectio-nem ut sic, non ut angelica vel hu-